Tertio decimo: teneat peregrinus suum asinum, quem primo a suo asinario recepit, et non mutet vel mutuet alteri, nisi de consensu asinarii, quia alias turbatio oritur. (B)

Quartus decimus: cavent domini peregrini nobiles, ne se coram Sarracenis de ingenuitate prodant, quia imprudenter ageret multis respectibus.

Quintus decimus: non imponat peregrinus capiti suo praesentibus Sarracenis mitras albas, nec involvat caput albo sudario aut panno; quia hoc sibi putant solis licere: et est signum eorum distinctivum ab aliis gentibus; nec sustinent Christianos albis indutos vestibus, quod tamen est contra Alchoron suum, in quo aliquotiens Christiani nominantur albi, et quotiens de eis mentionem facit, albos vocat, ut habet Nicolaus Cusa de cribratione Alchoron: plura enim Sarraceni sibi praeter Machometi ordinationem reassumserunt, quae olim idolatrae habebant, ut est de vestibus: vestiuntur enim ita, quod nec vir, nec mulier apparet veste hermofrodica, sicut olim legitur de Semiramide regina, quae sic inter armatos contra Bactrias processit vestita, quod nemo novit eam, vel virum vel foeminam, et iste modus hodie in oriente viget. Sic etiam ex gentili more capita linteaminibus involuta et bullata habent, sicut legimus Dionysium, Semeles filium, luxuriae crapulaeque deditum fecisse: nam si quando ex potu bibentis caput agitaretur, mitra illud alligabat, unde et Mitriphoros dictus est. Quem Machometus ebrius imitatus caput semper illigatum habebat: verum post vino abdicato pro homicidio in vini furia commisso capitis bullam retinuit, eam suis cultoribus reliquit, quia hodie buflati et quasi coronati lineis incedunt et nobis non admittunt capita albis tecta habere.

Sextus decimus: non portet peregrinus cultellos, nec aliqua alia dependentia, ne ab eo discerpantur et auferantur, et nulla portet arma.

Decimus septimus: si peregrinus contrahit cum aliquo Sarraceno familiaritatem, caveat, quod non nimis sibi confidat, quia dolosi sunt, et praecipue caveat, ne in joco cum eo habito manum sibi in barbam mittat, vel manu involucrum capitis sui percutiat, etiam jocose et leniter. Hoc enim omnino

Ende

Anfang

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-2;